

Lectio iv.

*Sermo Sancti Bernardi Abbatis: Homil. i.
In Laud. Virg. Matris.*

QUÆ est hæc Virgo, tam venerabilis ut salutetur ab Angelo; tam humilis ut dispondata sit fabro? Pulchra permixtio virginittis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in quâ & humilitas commendat virginittatem & virginittas exornat humilitatem. Sed quantâ putas veneratione digna est, in quâ humilitatem exaltat fecunditas, & partus consecrat virginittatem? Audis virginem, audis humilem. Si igitur virginittatem in Mariâ non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari & sufficit tibi. Quod si & virgo & humilis est: quisquis es, magnus es. Est tamen majus aliquid quod mireris in Mariâ, scilicet, cum virginittate fecunditas.

z. Quem vidistis, Pastores, dicite, annuntiate nobis in terris quis apparuit! * Natum vidimus, & choros Angelorum, collaudantes Dominum, alleluia, alleluia, alleluia.

r. Dicite quidnam vidistis, & annuntiate Christi nativittatem. * Natum vidimus.

Lectio v.

A SÆCULO enim non est auditum ut aliqua simul mater esset & virgo; quod si & cujus mater attendas, quò te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imò veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiâ choros exaltabitur Angelorum? Annon Deum & Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat filium dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis & pro magno habent, quòd cum sint spiritus ex conditione, ex gratiâ

facti sint & vocati Angeli, testante David: qui facit, inquit, Angelos suos spiritus. Maria verò matrem se agnoscens, Majestatem illam cui illi cum reverentiâ serviunt, cum fiduciâ suum nuncupat Filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit Evangelista: & erat, inquit, subditus illis. Quis? quibus? Deus, hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam.

z. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum: * Quia cum essem parvula, placui Altissimo & de meis visceribus, genui Deum & hominem, alleluia.

r. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. * Quia cum.

Lectio vi.

Homil. ii. unde suprâ.

ET ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Nec vir ergo matris, nec filii pater extitit, quamvis certâ (ut dictum est) & necessariâ dispensatione utrumque ad tempus & appellatus sit & putatus. Conjice ex hac appellatione, quâ (licet dispensatoriâ) meruit honorari à Deo, ut Pater Dei & dictus & creditus sit: conjice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari, quis & qualis homo fuerit iste homo Joseph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto & scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus